

los morbos qui modo curam recipiant, hac sola
recte curari, eamque continua & indefessa coctione
eliciendam esse arbitrati sunt, argumentum à semi-
nibus alijsque terræ nascentibus sumentes, quæ &
ipsa simili ratione, successiuo nimirum caloris na-
turalis motu, in lucem producuntur, & rei uiuen-
tis quandam vegetabilem substantiam præ se fe-
runt. Nec dubitandum est illos ipsos antiquos phi-
losophos eius scientiæ quondam perfectissimam
habuisse cognitionem, qua quidem uniuscuiusque
sensibilis substantiæ præcipuam & incorruptam
essentiam, purgatis omnium quatuor primarum
elementarium substantiarum fecibus, naturæ mi-
randa ingenio sequentes ordinem, haud difficili ra-
tione eliciebant. Postera ætas laborans in auro So-
phistico præparando (vt compertum habemus)
rei bonæ finem in peiorem usum conuertit. Vidi-
mus enim plerosque huius nostræ ætatis eidem la-
bori insudare, qui præterquam quod rei familia-
ris grandi dispendio non carent, etiam id quod
querere tentant non assequuntur: Ita ars quæ per
se est certissima, falsa indoctorum opinione depra-
uata, in contemptum abiit, quod plerumque rebus
melioribus contingere solitum est. Sed longe aliud
& maius quæsiuit uetustas, quæ naturalem re-
rum nascentium & crescentium intuens ordinem
id